



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VI. Vtrum per omnem potentiam vitalem fiat ens rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

est solum sufficiens, ut attingat extremum superficie meam materiam, sed necesse est, ut mea substantia penetret per profundum illius, quia omne accidens eo modo, quo accidens est, debet inherere: sed quantitas non solum est accidens secundum ultimam superficiem: sed etiam secundum profunditatem: ergo etiam secundum illam debet inherere: sed non potest profundum inherere per solum attingentiam ultimi superficie, nisi sit penetrata profunditas quantitatis per substantiam: ergo si cælum non est per totum profundum spatij imaginarij, alias esset infinite crassum, & profundum, licet illud spatium secundum ultimum sui attingat cælum, non diceretur, vel cogitaretur ut inherens: sed potius ut subsistens: ergo concipitur ut substantia quantitas, & cum maximo fundamento ex parte sui, & ex suo modo essendi independentia à subiecto secundum suam profunditatem, & cum fundamento in rebus: ergo iam cum fundamento in re datur substantia rationis, & qualitas rationis, & relatio rationis: ergo talis diuisio non est adæquata, & sufficiens.

30 Secunda conclusio: ens rationis aliud est negatiuum, aliud est positiuum: quod patet, quia distinctio rationis in sententia P. Suarez fingitur ad similitudinem distinctionis realis: sed distinctio realis in sententia ipsius est negatio identitatis: ergo etiam distinctio rationis est negatio identitatis.

31 In mea sententia carentia indiuiduationis in natura humana, quando abstrahitur & separatur ab illa, est vera carentia per rationem, id est ut vera carentia fingitur, nam cum natura humana erat contracta in indiuiduo, erat facta indiuidua, quia afficiebatur ab indiuiduatione: ergo habebat indiuiduationem, quia effectus ille formalis erat ex existentia indiuiduationis in natura: ergo quando abstrahitur, & separatur ab indiuiduatione cum desinit esse indiuiduata, quæ antea erat indiuiduata, caret indiuiduatione talem effectum causante: ergo datur carentia indiuiduationis in natura humana: ergo datur negatio illius, carentia enim negatio est: sed est carentia in subiecto apto habere indiuiduationem, quo caret: ergo est priuatio.

32 Item animal, quando contrahitur à rationali, componitur cum rationali hominem: ergo inter illa prædicata datur compositio: unde vnio: sed potest abstrahi animal à tali prædicato, ita ut non actu componat: ergo tunc caret illa compositione & vnione actuali: quod patet, quia potest habere illam: ergo in illo datur priuatio: quod autem datur negatio sic patet, quia generalitas dicit negationem identitatis cum specieitate, quia non est specieitas, & vniuersalitas dicit negationem analogiæ, cum dicat vniucationem: sed hæc negationes sunt in subiectis ineptis, cum nullam dicat vniuersalitatem aptitudinem essendi analogum, & nulla datur capacitas in generalitate essendi specieitas: ergo est propria negatio: ergo iam datur ens rationis, quæ propria negatio rationis est: sed ex alio capite datur relatio rationis, & qualitas, seu dispositio rationis fundata in priuatione, & negatione, quæ sunt positiua: ergo rectè dicitur ens rationis aliud negatiuum, quatenus comprehendit negationem & priuationem; & aliud positiuum scilicet relatio, & dispositio.

33 Confirmatur, quia eo modo potest fingi ens

rationis ut est ens reale: sed datur ens reale negatiuum, & positiuum: ergo potest dari ens rationis negatiuum, & positiuum: unde rectè procedet conclusio.

Positiuum ens rationis diuiditur in absolutum, & respectiuum, ut patet ex relatione rationis, & qualitate ficta supra negationem, & priuationem. Item positiuum absolutum in substantiam, & accidens, ut videre est in iuuentute allata, & aliis, v. g. in senectute Patris, & columba Spiritus Sancti, quæ omnia uti figura, & proprietates substantiæ corporeæ necessario innuunt quantitatem eorundem substantiæ corporeæ, & ipsam substantiam corpoream. Item in spatio imaginario. Accidens autem diuiditur in quantitatem, ut liquet ex exemplis adductis; & in qualitatem, ut patet ex ipsa sententia aduersariorum. Item diuiditur in vbi, & situm, quia Angelus, ut iuuenis conceptus, concipitur, & fingitur ad modum hominis existentis circumscriptiue & quatenus constantis partibus heterogeneis, ad quas sequitur situs necessarius. Item datur duratio, tempus scilicet imaginarium in sententia omnium aduersariorum. Datur etiam habere, quia datur denominatio extrinseca subiectibilitatis, ut patet ex illa quaestione, vbi latè probauimus subiectibilitatem dicere relationem, & denominationem extrinsecam: ergo dantur, &c. alia entia rationis, ut actio & passio, &c. quia non est maior ratio, quare ens rationis fingatur per omnia prædicamenta, & cum fundamento & doctrinaliter, & non fingatur in prædicamento actionis; præcipue, quia ipsa quantitas, relatio, &c. finguntur; ac si emanarent: sed emanatio est vera actio, ut patet ex libris de generatione, & vbi datur actio, datur passio: ergo per omnia prædicamenta datur ens rationis doctrinale cum fundamento.

QVÆSTIO VI.

*Virum per omnem potentiam vitalem
fiat ens rationis.*

SECTIO I.

Sententia Aduersariorum proponitur.

PRIMA sententia asserit ens rationis posse fieri per omnem potentiam vitalem, ut per intellectum, imaginationem, & voluntatem, sic Scotus *distinct.* 45. q. 1. Pater Valius hic, Pater Herize 1. p. & probatur.

Primo, Tunc fit ens rationis ab aliqua potentia: quando illa dat aliquod esse quod obiectum ex se non habet realiter: sed voluntas dat huiusmodi esse suo obiecto: ergo voluntas facit ens rationis. Minor sic probatur. Quia voluntas facit ordinatum ad finem quod ex se non est ordinatum, v. g. quando ordinat pecuniam ad emendum cum tanto valore, ut videre fuit in moneta quam fecit Carolus V. Imperator, ac Rex Hispaniæ ex corio bobino dum belli egestate, penuria argenti præueretur, cum tale corium non esset ad illud ordinatum: sed hoc est dare aliquod esse ordinatum scilicet, quod ex se non habet obiectum

iectum realiter : ergo voluntas dat huiusmodi esse.

3 Secundo intellectus componendo impossibilia inter se impossibilia facit ens rationis : sed voluntas componit talia impossibilia inter se, ut cum Lucifer volebat similitudinem, & aequalitatem cum Deo, cum esset creatura : ergo voluntas facit ens rationis.

4 Tertio non est minus efficax voluntas circa suum obiectum, quam intellectus circa suum : & imaginatio circa proprium : sed intellectus, & imaginatio propter hanc efficaciam faciunt ens rationis : ergo a fortiori voluntas propter maiorem efficaciam, & propter libertatem formalem, quam non habent illi, poterit facere ens rationis.

5 Secunda sententia est asserentium, nec voluntatem, nec alios sensus, & potentias præter intellectum, & imaginatiam posse facere ens rationis : ita Pater Suar. in *Met. tract. de ente rationis* : Pater Rubius in *Logica*, Hurt. in *met. disp. 19. sect. 1. n. 18*. Conimbricenses *ibidem*, & probatur.

6 Primo illa potentia facit ens rationis, quæ habet virtutem reflectendi supra proprios actus, & obiecta : sed intellectus habet virtutem reflectendi, & non sensus externi : ergo intellectus &c. maior sic probatur, quia entia rationis sunt denominationes, quæ tribuuntur rebus iam cognitis : sed huiusmodi denominationes sunt à potentia reflectente : ergo &c.

7 Secundo ens rationis ex eo dicitur ens, quod obijetur potentie illud efformanti per modum entis, ut tradunt Doctores logici : sed nulli potentie præter intellectum obijci potest per modum entis id quod in se ens non est, quia ens, ut ens est solum, & adequatum obiectum mentis : ergo nulla potentia præter intellectum efformat ens rationis.

8 Tertio phantasia, & ceteri sensus præter intellectum, non sunt capaces concipiendi res, & coniungendi unam alteri per modum compositionis : ergo nequit efficere chymæram, confectionem est certa, quia licet apprehendat hominem, & equum, nisi illa unita, & coniungat per unionem in ipso fictè accommodatam non erit chimæra, quia homo &c. diuini sumpta sunt entia realia. Antecedens probatur, quia componere potius est actus iudicii, quam apprehensionis : sed sensus interni, & externi non iudicant : sed solum apprehendunt : ergo nequeunt facere ens rationis.

SECTIO II.

Aliqua aduertenda proponuntur.

9 Aduertendum est dupliciter sumi posse ens rationis : Primo pro illo esse fictitio, & apparenti, quod ab intellectu fingitur, & à quo accipit esse intrinsecum, & apparens, & denominationem rationis, & in hoc sensu definitur à Doctoribus dum dicunt, ens rationis est quod tantum habet esse obiectiue in intellectu, quodque per antonomasiam ens rationis vocatur, quia ab hoc ente, quod ab intellectu fingitur manauit denominatio entis rationis ad cetera, quæ proprijsimè sunt entia ficta, & apparentia, licet non ab intellectu fingantur, & sic sumptum

ens rationis certum est non posse fieri ab alia potentia præter intellectum, quia certum est illud, quod fingit à se prout ab illa fingitur non posse fingi ab alia potentia, ut fortè chimæra v. g.

Secundo modo potest sumi ens rationis pro ente quoddam apparenti, & fictitio, quod in se nihil est à parte rei, & nihilominus cognoscitur ac si esset aliquid intrinsecum, siue sit ab intellectu, siue à quacunque potentia producente illud ens intrinsecum, cum non habeat in se talem entitatem fictitiam, & apparentem, quæ nec à parte rei est, nec est porum nihil, sed quoddam esse intrinsecum fallax & fictitium : quod solum habet esse obiectiue, & propter illud esse obiectiue non habet aliud esse, & sic de hoc ente apparenti sumpto vniuersaliter quærit titulus quætionis per quam potentiam accipiat esse primo & quasi producat.

SECTIO III.

Nostri sententia ponitur.

Prima conclusio : voluntas non potest facere ens rationis : sic P. Suarez, & est communis Doctorum sententia, & probatur.

Primo, illa potentia facit ens rationis, quæ est quasi productiua illius : sed voluntas non est huiusmodi : ergo voluntas non potest facere ens rationis. Maior euident est, quia idem est efficere ens rationis ac producere illud : sicut idem est efficere hominem, ac producere illud. Minor sic probatur, illud est productiue alicuius esse, quod habet vim faciendi, ut quod antea non erat, primo, & de nouo habeat esse eo modo, quo est : sed voluntas non habet hanc virtutem : ergo. Maior euident est.

Quia productio, in omnium sententia, nihil aliud est, quam tribuere esse de nouo illi, quod antea non habebat esse, & in hoc distinguitur à cæteris operationibus v. g. à conseruatione, alteratione, &c. quia istæ operationes præsupponunt esse totius circa quod versentur, productio autem non præsupponit, sed primo, & de nouo confert. Minor sic probatur, voluntas non proponit sibi, nec sibi facit obiectum de nouo, sed tendit in obiectum hoc modo præsuppositum ab intellectu : sed potentia, quæ tendit in obiectum ab altera potentia præsuppositum non habet virtutem faciendi, ut quod obiectum antea non erat, vel non habebat esse obiectiue de nouo habeat illud : ergo voluntas, quæ est huiusmodi, non facit, &c. Maior euident est, omnibulque concessa, quia naturaliter saltem nihil volitum, quin præcognitum ; id est, nihil prosequutum à voluntate, quod non habeat ante esse obiectiue, seu cognitum ab intellectu, & ideo cognitio præsupponitur necessario ad volitionem, ut vel voluntas non feratur in nihilum, vel illuminetur ad aliquod, quia cum voluntas sit cæca & non possit amare, nec tendere nisi illuminata ab intellectu, ut non feratur in incognitum. Minor sic probatur, illud obiectum præsuppositum, & ut cognitum, & obiectum, antequam adueniat actus voluntatis, & tendat in illud, habet iam esse obiectiue, cum habeat iam esse cognitum ab intellectu : ergo non producit obiectum à voluntate ; siquidem iam supponitur in illo esse, alias

Quæst. VI. Vtrum per omnes potent. &c. 25

alias voluntas faceret, quod iam antea factum esset, vel produceret quod iam esset productum, quod est contra naturam: ergo solum produci- tur in illo esse obiectiuo ab intellectu, cum in- tellectus sit qui primo fecit, vt transiret de non esse obiectiuo ad esse obiectiuum.

14 Dices præsupponi vt obiectum intellectus ante actum voluntatis, non tamen vt obiectum voluntatis.

15 Contra, quia præsupponitur vt bonum, vel vt malum; ergo vt obiectum voluntatis. Antecedens sic probatur, quia ideo voluntas amat ali- quid, vel fugit illud, quia est bonum, & quia re- præsentatur vt bonum: sed non fit bonum, nec repræsentatur vt bonum ab ipsa voluntate: ergo est huiusmodi ab intellectu. Maior concessa est ab omnibus. Minor sic probatur quoad primam partem, quia voluntas non est factiua, nec opera- tiua sed solum prosequutiua, & fugitiua: ergo voluntas non facit bonum, sed tantum amat quod est iam bonum. Secunda pars sic probatur, quia voluntas est cæca potentia in omnibus suis actionibus: sed huiusmodi potentia non est re- præsentatiua, & ideo voluntas præsupponit sem- per illuminationem intellectus circa suum obie- ctum, alias si ipsa haberet virtutem repræsentan- di, tum esset illuminatiua, vel repræsentatiua, hoc est intellectiua; intellectus enim ideo talis est, quia repræsentat; tum non indigeret intelle- ctu ad suas operationes.

16 Nec obstat, quod ante actum intellectus non præsupponatur obiectum, vt amatum.

17 Contra, quia esse amatum est ens extrinsecum à forma reali: sed ens extrinsecum huiusmodi non est rationis: ergo illud esse amatum, quod non præcedit actum voluntatis, sed per ipsum constituitur, nihil facit contra nos.

18 Et quamvis, vt optime ait Suarez int rdu voluntas humana tendat in id quod in re non est bonum, vt si bonum esset, tamen ipsa non fingit tale bonum, sed supponit apprehensum, & repræsentatum per intellectum. Vnde etiam si illud computetur inter entia rationis, non est à voluntate fabricatum, sed ab intellectu; quam- quam autem voluntas denominet suum obie- ctum amatum, vt diximus, & desideratum de- nominatione reali extrinseca per habitudinem sui actus ad tale obiectum, tamen ipsa voluntas non vterius reflectitur, vel inquirat, quid sit in tali obiecto esse amatum, vel desideratum, nec in eo fingit relationem rationis: sed hoc spectat ad in- tellectum, & quamvis voluntas possit in suo or- dine reflectere in suum actum amando amorem vel desiderium, & possit etiam reflectere in ob- iectum, vt denominatum ab actu eiusdem, vel similis voluntatis, scilicet amando obiectum, eo quod ab alio sit amatum, tamen per hanc reflexionem non fingit aliquid per modum entis, aut boni, quod in se bonum non sit, sed in vnum- quodque tendit, sicut in se est, vel sicut ab in- tellectu proponitur vel fingitur, & ob tandem causam, quamvis voluntas possit tendere in ob- iectum vniuersale; ipsa tamen non fabricatur ipsum vniuersale, sed supponit fabricatum ab in- tellectu, & idem est de omnibus obiectis, in quæ tendit voluntas propter extrinsecam deno- minationem, vel habitudinem, quæ si per mo- dum relationis concipiuntur, re vera tantum sunt relationes rationis, & intellectus fingentis, vt cum voluntas amat aliquem actum, quia præ-

I.P. Tom. II.

ptus est, nam esse præceptum denominatio est extrinseca, qui si apprehendatur vt aliquid exi- stens in ipsa re præcepta, erit ens rationis, tamen id non fit à voluntate, sed ab intellectu.

Secundo probatur contra Scotum eisdem ar- gumentis inuersis, quibus contra nos argumen- tatur hic non subtilis, sed debilis Doctor.

Primo voluntas non ordinat vnum ad aliud, quod in se non est ordinatum: ergo voluntas non efficit ens rationis. Antecedens probatur, tum quia ordinare vnum ad aliud est actus intelle- ctus; tum quia voluntas vult vnum propter aliud, supponit iam vnum ordinatum ad aliud per intellectum: ergo ipsa non ordinat vnum ad aliud. Antecedens patet, quia voluntas non vult, nisi quod intellectus apprehendit, vt tale. Consequentia autem certa est, quia si illa ordina- tio haberet prius esse per intellectum, sequeretur manifestè non habere esse per voluntatem, vo- luntas enim in iis, quæ non habent verum esse nihil aliud potest efficere, quam velle illud esse, vel fugere illud esse, quod dat intellectus, cum eius obiectum non sit esse, sed bonum.

Secundò, quia voluntas nequit distinguere (vt asserbat Scotus) per rationem, quæ non sunt distincta, sed ad summum amare quæ illi, vt distincta repræsentavit intellectus, voluntas enim fertur in res, vt factas, vel repræsentatas per priorem potentiam intellectiua: at vero intel- lectus attrahit illas, ac proinde potest effingere aliquod esse, quod non est à parte rei, maxime illud, cuius totum suum esse est esse intelligibile.

Secunda conclusio: non solum intellectus, sed etiam omnes potentie cognoscutes faciunt ali- quod ens intrinsecum apparens, quod pot. st ali- quomodo vocari ens rationis, tum propter simili- tudinem, quam habet cum ente rationis, tum ne multiplicemus nomina, dicendo ens visionis, ens gustus, ens imaginationis, ens auditionis, &c. quod ab ipsis adu rariis maximum inconueniens iudicatur, probatur.

Primò (in potentia visiva, in qua clarius hoc apparet: quidquid autem de hac potentia dice- tur, erit idem in cæteris potentis cognoscitiuis, quia non est maior ratio vnius, quam alterius,) quia potentia visiva habet virtutem facienti, quod incipiat de nouo esse obiectiuum intrinse- cum apparens, quod ex se à parte rei non habet tale esse; sed hoc est facere ens fictitiu, quod vt dixi, potest vocari ens rationis: ergo potentia visiva facit illud. Maior est euident, quia dum po- tentia visiva respicit colorem cæruleum in mon- tibus, & in cælo de longè apparentem, facit quod ille color, qui ante non erat nec à parte rei, nec obiectiue, de nouo sit obiectiue, & ita sit dependenter à visu, vt nullum aliud habeat esse, præter obiectiuum visus: ergo potentia visiva habet vim, ac virtutem facienti quod incipiat de nouo esse obiectiuum intrinsecum apparens, quod ex se non habet tale esse à parte rei. Con- sequentia sic probatur; quia nihil aliud est inci- pere de nouo aliquid ex vi alicuius potentie, quam ex vi talis potentie nunc habere esse, quod antea non habebat, nec habet à parte rei; sed ex vi potentie visivæ color ille cæruleus cæ- li, & montium habet esse obiectiuum quod antea non habebat, nec obiectiue, nec à parte rei: ergo ex vi potentie visivæ color ille cæruleus incipit de nouo habere esse obiectiuum apparens, quod ex se non habebat. Minor hæc sic probatur quo-

ad

ad secundam partem. Nam color ille ceruleus non est in montibus, quod patet manifestè, nam dum approximamur illis, in quibus color ceruleus videbatur, non apparet talis color, sed potius alius distinctus: ergo signum evidens est, colorem illum solum esse apparentem & fictum à visu, & non existere à parte rei in montibus, alias si verè existeret in illis, perfectius videretur à nobis, dum magis approximamur montibus ut ipsa experientia clarissima, & evidentissima patet in reliquis obiectis vero, & proprio colore imbutis, quorum colores eo perfectius videntur, & percipiuntur à visu, quo proximius accedit videns. Item quia impossibile est, quod idem mons simul sit viridis, & ceruleus vel luridus, & ceruleus simul: sed mons, quia longè visus apparebat ceruleus, quando herbarum viriditate vestitur in primo vere ex se, & à parte rei est viridis, & in æstate: dum herbis destituitur luridus est ex vi arenae, aut terræ, ex quibus substantialiter componitur à parte rei: ergo simul non est ceruleus ex se à parte rei.

Tandem de cælo evidentissimum est; quia cælum apud ipsos aduersarios neque habet colorem vllum, neque est capax illius, quia color petit mixtionem primarum qualitatum, quæ dari non potest in cælo ratione propriæ incorruptibilitatis illius; primæ enim qualitates, & mixtiones illarum petunt subiectum corruptibile, quod disponant ad corruptionem: ergo ille color ceruleus, qui in cælo, & in montibus apparet, ex se non est verus, nec à parte rei datur: ergo antequam videretur à potentia visiva, non habebat esse à parte rei; quod autem nec obiectivum haberet antequam videretur evidenter patet. Quia color solum ex vi illius potentia potest habere esse obiectivum, cuius obiectum est talis color, & cuius potentia actiones potest terminare; sed color solum est obiectum terminativum potentia visiva, ratione cuius solum terminat actiones illius potentia: ergo color solum ratione potentia visiva potest habere esse obiectivum, sed nihil potest habere esse ante actionem propriæ potentia, cum per illam actionem formaliter à propria potentia recipiat esse, unde creatura ante actionem omnipotentia non potest habere esse, & ens rationis factum ab intellectu ante intellectionem non potest habere esse obiectivum, quia hoc accipit esse obiectivum ab intellectu media intellectione, & illa accipit esse reale ab omnipotentia mediante actione formaliter: sed color ille apparens habet esse à potentia visiva mediante visione formaliter: ergo ante visionem non habet esse obiectivum color ille apparens: ergo tunc incipit habere esse de nouo obiectivum, quando primo videtur à potentia visiva in montibus, & in cælo: ergo ille color, qui nunc videtur, & reperitur obiectivè ut color in visu ante visionem non erat color, & postquam videtur, incipit esse color intrinsecus apparens, quia ipse visus, qui concipit illum colorem, non concipit illum extra cælum, & montes, sed potius ut intrinsece vnitum illis, quare si à barbaro quodam omnino sibi persuadente esse verum colorem, quem respicit in montibus &c. interrogaremus, an ille color esset in montibus, an extra montes, sine dubio diceret esse in montibus intrinsece, eo quod sola apparentia visus ducere-tur, quæ representat colorem illum ut intrinsecum montibus.

Minor primi, & præcipui syllogismi sic demonstratur; quia nihil aliud est facere ens rationis fictitum, intrinsecum, apparens, quam facere, quod de nouo habeat esse tale ens fictum, quod ex se, & ante cognitionem nullum habebat esse apparens: sed potentia visiva facit, ut color ceruleus in montibus, & in cælo apparens, & fictus habeat de nouo esse, quod ante cognitionem potentia visiva non habebat esse: ergo potentia visiva facit ens fictum & apparens.

Vergetur, & declaratur amplius, & magis in forma. quia nihil est facere ens reale, quam facere ut de nouo incipiat aliquid reale, quod ante actionem potentia nullum habebat esse reale, ut est in Deo producente creaturam, & in Paulo generante Petrum filium: sed facere ens rationis est ad similitudinem effectus entis realis: ergo facere ens rationis est facere, ut de nouo habeat esse apparens, & fictum, quod antea non habebat; exemplo intellectus manifestissimè declaratur. Id enim intellectus facit ens rationis proprium quia facit, ut chimæra v. g. habeat de nouo esse fictum, & apparens ex vi intellectus, quod ante illam nullum habebat esse apparens: ergo facere ens rationis est agere ut habeat de nouo esse fictum, quod antea non habebat.

Confirmatur, quia illa potentia facit ens rationis quæ cognoscit rem aliter, ac est in se dando illi esse, quod non habet à parte rei: sed potentia visiva v. g. cognoscit rem aliter ac est in se, dando illi esse quod non habet à parte rei: ergo facit ens rationis. Maior est ita certa, ut sit ratio, quæ omnes probant dari ens rationis; nam ideo intellectus humanus facit ens rationis, quia cognoscit rem aliter, ac est in se; & ideo intellectus diuinus licet cognoscat entia rationis, non potest facere illa, quia non potest cognoscere rem aliter, ac est in se, ut probauimus iam. Minor probatur, potentia visiva cognoscit in cælo & in montibus colorem ceruleum: sed tunc cognoscit rem aliter, ac est in se, dando illi esse, quod non habet à parte rei: ergo &c. Minor probatur. Ille color non datur à parte rei: sed est omnino fictus & apparens, ut est in consensu apud omnes Philosophos, & patet experientia, quia dum accedimus ad montes, euanesceat talis color: ergo potentia visiva dat illi esse: ergo illud non habet à parte rei: ergo cognoscit rem aliter, ac est in se: ergo facit ens rationis.

Declaratur amplius, quia ille color tantum habet esse obiectivè in potentia visiva, id est tantum habet esse, dum videtur, & obicitur visui: sed quod est huiusmodi est ens fictum, quod vocatur ens rationis: ergo ille color est color apparens, fictus, & ens rationis: consequentia est evidens, supposita maiori, & minori. Minor patet, quia ideo chimæra est ens rationis fictum, & apparens quia tantum habet esse obiectivum in potentia cognoscente, sed ille color apparens habet tantum esse obiectivum in potentia cognoscentia, qualis est visiva: ergo est ens fictum: ergo illud, quod tantum habet esse obiectivè in potentia cognoscente est ens fictum, apparens, & rationis. Maior ex ipsa definitione entis rationis apparentis, & ficti est manifesta, quia definitio entis rationis sic se habet: est quod tantum habet esse, dum cognoscitur, & extra cognitionem à parte rei nullum habet esse: sed ille color

Quaest. VI. Vtrum per omnes potent. &c. 27

ceruleus montium, & cæli apparet, & est, dum videtur & dum obicitur potentia visiva, ac proinde dum obiectum est in visu, & extra potentiam visivam, seu ultra esse obiectum non habet esse à parte rei: ergo ille color tantum habet esse obiectum in potentia visiva.

26 Tunc sic: quidquid cognoscitur, vel est ens reale, vel rationis: sed ille color cognoscitur à potentia visiva: ergo vel est ens reale, vel rationis; atqui non est reale, vt supra demonstratum manet: ergo rationis: sed accipit esse à potentia visiva: ergo potentia visiva tribuit, & dat esse entis rationis, quia quidquid accipitur ab aliquo, tribuitur ab ipso: sed quidquid dat esse, facit illud esse: ergo potentia visiva facit illud ens rationis.

27 Quod sic demonstratur in homine philosophiam ignorante, & vidente colorem illum ceruleum, talis homo per illum cognoscit colorem illum: sed tunc facit ens rationis: ergo etiam potentia visiva facit ens rationis. Minor est certa; & ratio est quia intellectus cognoscit rem aliter ac est in se, dando illi esse, quod non habet à parte rei, & habet esse tantum ab intellectu: ergo est ens rationis.

28 Dices, potentiam visivam non posse facere ens rationis quia non concipit quod non est tantquam ens.

29 Sed contra: quia vel ideo non facit, quia non concipit tantquam ens, vt ens in communi, & vt sic, vel quia non concipit vt tale ens: sed primum non abest ad productionem entis rationis, & secundum est falsum: ergo nihil datur impedimenti ad hoc, vt potentia visiva faciat ens rationis.

30 Secunda pars minoris sic probatur: quia per omnes aduerbarios imaginatio facit ens rationis, dum fingit montem aureum, vel fingit monstrum ex variis formis, & figuris, & nihilominus non potest concipere ens vt ens in communi, & vt sic nec essentiam vt essentiam in communi secundum prædicata quidditativa illius, cum hoc solum sit obiectum intellectus ratione abstractionis à singularitate: nulla enim potentia cognoscitiva corporea ratione propriae materialitatis potest tendere in obiectum vniuersale, neque cognoscere, aut percipere illud sub ratione præcisionis à differentis singularibus, & indiuiduantibus: hoc enim pertinet ad potentiam vniuersalissimam, & perfectissimam, qualis est intellectus, ratione cuius dixit Aristoteles, obiecta intellectus, & scientiarum esse vniuersalia, æterna, & necessaria, qualia sunt prædicata essentialia quæ non attinguntur à potentiis corporeis, quæ solum percipiunt accidentia, non autem essentias rerum vt latissime *libris de anima* probatur à nobis: ergo imaginatio non cognoscit ens vt ens in communi, & vt sic sub vniuersalissima ratione entis, & nihilominus facit ens rationis, vt dixi, eo quod cognoscit rem aliter, ac est à parte rei: sed potentia visiva, licet non cognoscat quod non est, ac si esset in communi, cognoscit tamen rem aliter ac est: ergo facit ens rationis, imo si imaginatio cognoscit ens vt ens etiam visus: sed hoc non obstante pro certissimo habendum est, non cognoscere, quod non est, ac si esset vt sic, non obesse ad faciendum ens rationis.

31 Secunda pars sic probatur: quia potentia visiva cognoscit colorem, qui à parte rei non est
I. P. Tom. II.

color: item videt in aqua remum fractum, cum non sit nisi integer: in iride, & collo columbarum colores apparentes, per vtrum artificiosum, & triangulare videt vnam rem simul in pluribus locis, quæ cum non sint entia realia, dicendum est, esse entia ficta, & rationis. Item infirmum vt amarum dulce, vt dulce amarum sentit in gustu; de quibus sic in sto. Talis color in cælo v. g. videtur à potentia visiva, qui non est verè color: sed color vt color indiuiduus est tale ens, vt de se patet: ergo quando potentia visiva videt colorem indiuiduum, qui à parte rei non est color, videt tale ens, quod à parte rei non est tale, quia potentia visiva dum cognoscit colorem, qui non est, cognoscit aliquid, quod antea non erat aliquid: ergo cognoscit aliquid ens, saltem apparens, quia ens, & aliquid synonyma sunt.

Confirmatur, cum intellectus concipit senectutem in Patre æterno, relationem in vniuersali, qualiter in aëre loco tenebrarum, non concipit ens, vt ens in communi: sed potius concipit tale ens apparens, & fictum; v. g. relationem, qualitatem, senectutem &c. quia verò talia entia non sunt à parte rei vera, & realia, & concipiuntur, ac si verè essent ab intellectu in omnium sententia potentia intellectiva facit ens rationis: ergo impertinens est ad effectum entis rationis, quod cognoscatur, vel non cognoscatur aliquid, ac si esset ens in communi, cum modus ordinarius, & communis faciendi entia rationis propria, vt videre est in intellectu, sit cognoscendo vnum particulare ens quod non est à parte rei, ac si esset; in qua fallacia tota effectio entis rationis consistit: sed oculus, licet non cognoscat ens vt sic, & in communi, fallitur tamen cognoscendo aliquid ens scilicet colorem, qui non est à parte rei, ac si esset, & cognoscendo lucem, ac si esset color: ergo etiam si non cognoscat ens vt sic, facit in toto rigore, & sine dubio quoddam ens, non verum, nec reale: sed fictum & apparens simile illi, quod facit intellectus, dum fallitur, cognoscendo rem aliter, ac est (vocetur, vel non vocetur ens rationis) quod est intentum conclusionis, & de quo quaeritur in titulo quaestionis; Nos enim nec fatigamur, nec curamus de vocabulis, dum tamen in certamine rei victoriam reportemus.

SVBSECTIO I.

Aliæ solutiones oppugnantur.

Dices, potentiam visivam cognoscentem colorem illum non facere ens rationis, quia facit illum colorem propter imperfectionem propriam, & propter distantiam, quæ datur inter potentiam visivam, & obiectum; hæc est solutio valde communis inter neotheticos.

Sed contra primo, quia tantum abest, vt soluat argumentum quin potius confirmet illud, siquidem tribuit rationem, cur potentia visiva faciat colorem apparentem, vnde & concedit conclusionem nostram, & reddit rationem illius, licet vocabulis neget conclusionem; nam reddendo rationem cognitionis percipientis colorem qui non est, ac si esset, confirmat nostrum intentum, supponendo potentiam visivam illud
d 2 ens

ens fictum facere; v. g. queritur, an intellectus contingat distinctionem fictam & apparentem inter attributa divina, & hoc probatur efficacissima ratione, si autem aliquis responderet, dicendo, illam distinctionem non esse ens rationis fictum, & apparens, & intellectum cognoscen-tem talem distinctionem non facere ens rationis, quia facit distinctionem propter suam imperfectionem, aut propter intentionalem distantiam, quæ datur inter hominem viatorem, & obiectum spirituale, eo quod non habeat lumen gloriæ ad cognoscenda attributa divina, medio quo intellectus approximatur obiecto, certe barbarè procederet, & sibi contradiceret; nam dicendo facere illam distinctionem propter imperfectionem, & distantiam intellectus, concedit facere illam, & tribuit rationem talis effectio- nis, dum autem negat facere ens rationis, negat idipsum quod concesserat; nam ipse concesserat facere distinctionem fictam non veram, & realem, sed apparentem; atqui huiusmodi ens est ens rationis: ergo facit ens rationis propter distantiam; & imperfectionem: ergo quando iterum asseris, licet faciat illud ens rationis non facere ens rationis, quia facit illud propter imperfectionem aut distantiam, concedis simul & negas facere ens rationis, imo negas id, quod concesseras, & cuius causam affirmationis tribueras.

Exemplo clarissimo declaratur; si aliquis diceret, ignem videntem signum sibi approxima- tum, non vere illud, quia vrit ratione approxi- mationis; item si diceret, Petrum interficientem Paulum non occidere illum, quia interfecit gladio, irrideretur iure optimo ab hominibus; sicut irrideretur, qui diceret Deum creatorem Angelum non producere illum eo quod creet Angelum per omnipotentiam, iure optimo irri- deretur, quia concedendo effectum, negaret ipsum propter causam, per quam producitur talis effectus. Tunc sic, tu asseris, potentiam visu- am cognoscendo colorem cæruleum in monti- bus falsi in tali cognitione, cognoscereque rem aliter ac est in se, ac proinde necessario debes concedere facere potentiam visivam quoddam ens fictum & apparens; quod quidem facit tum propter imperfectionem propriam, tum propter distantiam localem; nam statim ac approximatur potentia montibus, non fit talis color, neque percipitur: ergo quando tu iterum asseris non fa- cere ens rationis, & negas nostram conclusio- nem, & tribuis rationem quia facit propter di- stantiam & imperfectionem, vel negas facere ens fictum, & apparens, & sic negas idipsum, quod concesseras propter eandem causam ob quam negaveras illud, & ita te habes, ac si di- ceres, potentia visiva facit ens fictum, & appa- rens propter distantiam, & imperfectionem; & quia propter distantiam, & imperfectionem fa- cit, non facit illud, quæ est evidens contradi- ctio. Si autem non neges facere ens apparens: sed solum neges debere vocari ens rationis, solu- tio non est ad rem, quia hic non curamus de no- mine, dum tamen rem ipsam & intentum argu- menti concedas præcipue, quia adhuc in hoc ipso falleris, & tibi ipsi te opponis; nam tota ra- tio, propter quam asseris, non debere vocari ens rationis, est quia fit propter distantiam, & im- perfectionem: sed ens fictum ab imaginatione, & ens fictum ab intellectu per te, etiam si fiat

propter imperfectionem, & distantiam à te vo- catur ens rationis: ergo inconsequentia vitio la- boras, dum negas ens fictum, & apparens fabri- catum à visu non debere vocari ens rationis, ex eo quod fiat propter distantiam & imperfec- tionem, cum eadem ratio distantia, & imperfe- ctionis militet in visu, ac in imaginatione, & in intellectu.

Ista enim ratio, quare ens apparens fictum ab intellectu est ens rationis, licet fiat ratione di- stantia, & imperfectionis est, quia tale ens non est verum à parte rei existens, & concipitur ab intellectu ac si existeret à parte rei; Nam si in- tellectus approximatus esset intentionaliter Deo per visionem beatificam, & lumen gloriæ non fingeret senectutem in Patre æterno, distinc- tionem inter attributa, compositionem rationis in- ter constitutiva divina; sicut etiam non fingeret ea entia, si non haberet innatam imperfectionem cognitionis abstractivæ per alienas species, ut videre est in Beatis, qui huiusmodi entia non fingunt, qui carenti distantia illa, & imperfe- ctionibus supradictis, & evidentius videtur hoc in Deo, qui nullo modo potest fingere ens ra- tionis, quia nullam imperfectionem & distan- tiam habet in cognoscendo: ergo etiam visus propter distantiam, & imperfectionem, facit illum colorem fictum, & apparentem, non poterit negari quod faciat ens rationis, nam si hic negetur, necessario negandum est propter ean- dem causam id ipsum de intellectu, quod nullo modo negant aduersarij.

Secundo clarius, & evidentius hoc demon- stratur; nam homines illi Philosophiam ignoran- tes, qui sibi persuadent, & intellectualiter affir- mant, solem, & lunam non excedere in magni- tudine notam curus, & qui existentes Limæ multa fingunt Romæ, componunt, & fabricant propria entia rationis, cuius tota & adæquatæ causa est, quia cognoscunt rem aliter, ac est in se, & nihilominus talia entia rationis fingunt propter distantiam localem, quæ datur inter ipsos, & solem, lunam, ac Romam; nam si localiter approximarentur lunæ, soli, & Romæ, talia entia non fingerent, sed aliter de magnitudine illorum Astrorum, & rebus quæ Romæ contingunt, lo- querentur; sed potentia visiva quando videt co- lorem cæruleum in montibus & in celo, remum fractum in aqua, varios colores in collo colum- bæ, ac per vitrum triangulare fallitur sine du- bio, & cognoscit rem aliter, ac est in se à parte rei: ergo etiam si propter distantiam localem id contingat, & hoc fiat propter imperfectionem illius, fabricabitur entia ficta, & apparentia, quæ ne multiplicemus vocabula, dicendo ens visus, auditus, imaginationis, &c. appellamus iure op- timo entia rationis propter analogatum princi- pale, quod est ens fictum ab intellectu, cui maxi- mè assimulantur hæc entia ficticia: igitur no- stra conclusio suo vigore perseverat, imo am- plius confirmata manet post tuam solutionem, quæ adstruit quod dicimus, & tribuit rationem illius, solutio autem hæc quoad aliquam partem illius habere vim si aliquis assereret talem colo- rem non fingi propter distantiam, & imperfe- ctionem potentia; nobis autem faveat ratioe di- rimus, talem colorem cæruleum fieri ratione di- stantia & imperfectionis potentia, & quia ens fictum est esse ens rationis. Nihilominus tamen non potest negari, esse illam extra rem ad quæ- stionem

Quaest. VI. Vtrum per omnes potent. & c. 29

tionem; quia hic non queritur de causa, propter quam fiat, sed potius de effectu ipso, qui fit à potentia visiva concipiente rem aliter, ac est in se, quem effectum, ut diximus, propter rationes positas vocamus ens rationis.

SVBSECTIO II.

Secundum argumentum principale ponitur, & solutiones aduersariorum diluuntur.

- 36 Illudens, quod producit, vel quasi producit à visu, dum cognoscit rem aliter ac est, & illud quod producit ab imaginatione, quando imaginatio cognoscit montem aureum, conveniunt vni voce in ratione entis apparentis: sed quod producit imaginatio, est ens rationis, quia est fictum: ergo similiter productum à visu. Item entia illa producta à visu, & imaginatione conveniunt vni voce in ratione entis apparentis, ficti intrinsece cum producto ab intellectu; sed illud ens, quod producit ab intellectu propter illam entitatem quam habet, non veram, sed fictam, non realem, sed apparentem, distinctam ab ente reali, est ens rationis: ergo etiam illud ens productum ab imaginatione, & à visu propter illam entitatem, quam habet, non veram sed fictam, non realem sed apparentem distinctam ab ente reali coloris erit ens rationis.
- 37 Maior sic probatur; quia quemadmodum ens illud quod producit ab intellectu est ens intrinsece apparet, & non habet esse à parte rei, etiam quod producit à sensibus est ens intrinsece apparet, & fictum, & non habet esse à parte rei; & sicut illud non habet aliud esse, præter obiectivum in potentia cognoscente, ita similiter hoc non habet aliud esse, præter obiectivum in visu, qui est potentia cognoscens: ergo conveniunt vni voce in ratione entis apparentis: ergo sunt entia rationis.
- 38 Nec potest dici, quod non conveniunt vni voce, cum vnum producat essentialiter ab intellectu, aliud vero non.
- 39 Contra. Adam immediate & solum à Deo fuit productus, & ego à Patre meo: sed Deus, & pater meus distant magis, quam visus, & intellectus, & nihilominus conveniunt vni voce in ratione entis realis: ergo. Deinde, quia intellectus producit essentialiter ab intellectu, & visus non producit nisi à visu, & nihilominus conveniunt vni voce in esse entis realis; licet una sit ab intellectu essentialiter, altera à visu essentialiter, quia utraque habet verum esse à parte rei: ergo similiter conveniunt illa vni voce, licet vnum sit ab intellectu, aliud vero non, cum conveniant in esse intrinsece apparenti fictio solum obiectivo essentialiter hæc enim sunt constitutiva entis rationis.
- 40 Confirmatur; quia illud ens, quod producit à ratione non ideo est ens rationis, quia dependet essentialiter à ratione, alias intellectus esset ens rationis, cum dependeat essentialiter ab illa: ergo in tantum dicitur ens rationis, in quantum dependet à cognitione percipiente rem aliter ac est, & fingente quoddam ens, quod non est à parte rei, sed potius est fictum, apparet, & obiectivum solum in potentia cognoscente, &

ratio est manifesta, quia non est in ente ficto ab intellectu formaliter alia ratio, à qua sumatur illa denominatio, præter esse fictum, & apparet; sed ens productum à sensibus dependet essentialiter à cognitione fingente rem aliter ac est in se, & cognoscente id quod non est, ac si esset, & ex alio capite habet esse apparet, fictum, obiectivum solum in cognitione: ergo merito potest vocari ens rationis color ille, ut distinguatur à colore vero & reali, quia per talem denominationem non intendimus alserere potentiam visivam facere illud ipsum ens apparet, quod intellectus, seu ratio fingit propterea, quia hoc est implicatorium, alias sensus esset intellectus, & cognitio sensitiva, per quam fingitur color esset intellectus, seu ratio, quod nullus etiam amens poterit alserere, solum enim intendimus significare per tale nomen colorem illum non esse verum & realem: sed obiectivum, apparet, & fictum, & similem in suo esse enti ficto, & apparenti fabricato à ratione, seu ab intellectu, in quo nullum inconueniens datur, sicut nullum reperitur in hoc, quod ens fictum & apparet fabricatum ab imaginatione appelletur ab aduersariis ens rationis; licet imaginativa non sit intellectus, & imaginatio, per quam fingitur, non sit ratio, eo quod per talem denominationem intendunt significare quoddam ens ita diminutum, & imperfectum, ut non existat à parte rei: sed solum appareat, dum cognoscitur à potentia, quæ fallitur in tali cognitione: ergo similiter in nostro casu.

Dices cum Smiglesio, ideo intellectum facere ens rationis, non vero sensum, quia intellectus cognoscit aliquod impossibile, sensus vero non cognoscit.

Sed contra; quia potentia visiva cognoscit lucem, ut colorem: sed impossibile est quod lux sit color: ergo potentia visiva cognoscit aliquod impossibile: ergo facit ens rationis. Minor sic probatur. Quia lux distinguitur essentialiter à colore: sed impossibile est, ut id, quod distinguitur ab aliquo essentialiter sit idem cum illo, à quo distinguitur, sicut impossibile est, quod homo sit equus: ergo impossibile est quod lux sit color. Maior prima & præcipua sic probatur, quia dum potentia visiva videt lucem refractam in collo columbæ, videt illam ut colores varios, & dum à longe videt montem opaca luce imbutum, cognoscit illum, ac cæruleum: ergo potentia visiva cognoscit lucem ac si esset color.

Vrgetur, quia dum visus videt illum colorem viridem v.g. in aquis maris, & per vitrum triangulare varietatem colorum, fallitur visus in cognoscenda luce: ergo cognoscit lucem falsam, hoc est aliter ac est, nimirum cognoscendo lucem ut colores, cum non sit verè color, sed potius lux distincta à colore. Antecedens evidens est, omnibusque Philosophis conceditur, consequentia sic probatur; quia nihil aliud est falli cognitionem circa aliquod obiectum, quam non conformari cum illo, vel cognoscere illud alio modo, ac est; sed potentia visiva dum cognoscit lucem cognoscit illam alio modo ac est, percipiendo illam per modum coloris: ergo fallitur in tali cognitione, ac proinde cognoscit aliquod impossibile in actu exercito.

Vrgetur; intellectus quando concipit relationem superioritatis in natura respectu individuum,

rum, & quando concipit Angelum ad modum iuuentis alati, concipit aliquid impossibile sufficiens ad productionem entis rationis, quia concipit spiritum ad modum corporis, & quod non potest esse superius à parte rei ad modum superioris, quod obiectum impossibile dicitur, quia impossibile est, ut existat à parte rei spiritus ut corpus, & natura identificata cum indiuiduis, ut superior respectu illorum: sed potentia visiva cognoscit eam ut colorem, & cælum incapax omnis coloris ac si haberet colorem: ergo cognoscit aliquod impossibile sufficiens ad productionem entis rationis apparentis, & fictitij, quia omnino impossibile est ut lux à parte rei sit color, & ut cælum imbuatur colore ceruleo.

44 Deinde interrogo ab aduersariis, quare ille color fictus à visu non sit impossibilis, sed possibilis. Respondent, quia Deus potest facere colorem cœruleum similem illi, sed contra: ergo similiter est possibilis senectus in Patre aeterno ficta, & iuuentus allata in Angelo, & qualitas nigra, quæ concipitur in aëre, quando concipimus tenebras, quia Deus potest facere in hominibus senectutem illi similem, sicut potest facere qualitatem nigram similem illi, & iuuentutem allatam similem iuuentuti fictæ in Angelo, ac proinde talia entia non erunt entia rationis; atqui hoc est falsum, quia talis senectus in Patre aeterno, iuuentus in Angelo, & qualitas nigra in aëre sunt entia rationis, & habent impossibilitatem necessariam ad hoc, nam licet Deus faciat alias similes his, non tamen ideo hæc sunt possibiles: sed impossibiles, quia res non dicuntur possibiles, nisi à propria indiuidua possibilitate, & non ab aliena alterius à se distinctæ. Vrgetur, nam ille color, licet sit possibilis à parte rei cum existentia reali, nihilominus non est possibilis à parte rei à Deo cum existentia ficta, & apparenti, quia implicat simul à parte rei existere, & existeret per fictam, & apparentem existentiam: sed iste color, qui producit à visu cognoscibiliter producit, & est cum existentia apparenti, & fictitia, ac proinde sine existentia vera, & reali: ergo hic color, qui producit à visu, & obiectivè existit in potentia visiva non potest produci à Deo, sicut non potest produci ab ipso propter eandem rationem id, quod fingitur ab intellectu.

Vnde si aliquis diceret, ens fictum ab intellectu non esse impossibile: sed possibile hoc discursu evidenti convinceretur. Quia vel illud ens esset possibile, quia quatenus cognoscitur ab intellectu cum illa existenti, & fictitia potest fieri à Deo, vel quia aliud ens simile illi potest fieri ab ipso: sed neque primum neque secundum obstat: ergo falsa est solutio; non primum, quia licet illud ens esset possibile, & posset existeret à parte rei, tamen non potest existeret à parte rei cum existentia illa imaginaria, & per consequens sic non est possibile: ergo non obstat primum, neque secundum; quia per vos etiam Deus potest facere alias relationes similes relationibus rationis, & ideo sunt cum fundamento in re, & nihilominus illæ relationes sunt fictitæ, & ens rationis: ergo similiter licet possit facere Deus aliud ens absolutum simile illi, quod fingit intellectus, non ideo desinet esse ens fictum, & rationis, nam sicut licet existat aliud simile huic, non existit hoc à parte rei, quod fingitur à ratione, ita similiter licet aliud simile huic sit

possibile, nihilominus tamen hoc absolutum, quod fingitur à ratione, non est possibile, quia ipsum ut sic non potest existeret à parte rei, licet aliud simile illi possit existeret; si autem dicas propter eandem rationem relationem illam non esse ens rationis: ergo nullum est ens rationis fictum ab intellectu cum fundamento in re, quia Deus potest facere entia similia à parte rei his, quæ finguntur cum fundamento in re ab intellectu, quod est summum absurdum, ex cuius conclusionem manifestè colligitur evidentem esse demonstrationem nuper dictam, quæ talia absurda fateri cogit aduersarios, qui veritatem nostram negant.

Dices evidenter esse hanc ratiocinationem in intellectu, ac proinde omne ens fictum ab illo esse ens rationis: ex hoc tamen non posse colligi, potentiam visivam facere ens rationis, quia color, qui fingitur à potentia visiva non est impossibilis.

Sed contra manifestè, quia solum mutata materia de ente ficto ab intellectu in ens fictum à potentia visiva, potest applicari eadem demonstratio seu argumentatio formaliter, quare si in ente ficto ab intellectu est evidens, sine dubio erit evidens in colore ficto à potentia visiva; quod autem eadem demonstratio possit applicari, patet manifestè ex hac applicatione.

Quia vel ille color possibilis esset, quia quatenus cognoscitur à potentia visiva cum illa existentia apparenti, & fictitia, potest fieri à Deo, vel quia alius color similis illi potest fieri ab ipso: sed neque primum; neque secundum obstat: ergo falsa est solutio, non primum, quia licet color esset possibilis, & posset existeret à parte rei, tamen non potest existeret à parte rei cum existentia illa imaginaria & ficta per visum, ac per consequens hic ut fingitur à visu non est possibilis: ergo non obstat primum.

Neque obstat secundum; quia etiam per vos, licet Deus possit facere alia entia similia fictis ab intellectu, nihilominus illa sunt vera entia rationis; quia sunt solum obiectiva in intellectu, & non habent verum esse à parte rei: ergo similiter licet possit facere Deus alios colores similes illis, quos potentia visiva fingit in cælo, & in montibus, nihilominus tamen illi erunt vera entia rationis, & colores impossibiles, quia licet alij similes illis possint existeret à parte rei, nihilominus tamen isti, ut finguntur à visu & prout habent existentiam fictitiam, & solum obiectivam nullo modo possunt existeret à parte rei.

Vltimo confirmatur, impossibile est omnino, quod aliquod subiectum habens negationem formæ sine destructione talis negationis, retinendo illam, & remanendo formaliter sub illa simul afficiatur forma, cuius carentiam, & negationem habet: v. g. impossibile est, ut lapis, qui habet negationem, & carentiam visus prout sic, simul habeat potentiam visivam: sed potentia visiva videt cælum colore affectum quantumvis videt cælum colore affectum, seu quia repugnat habere illum, quia negatio, seu carentia coloris est inseparabilis à cælo: ergo vicarentia coloris est inseparabilis à cælo videt aliquid impossibile in ipso; v. g. ideo intellectus cognoscit aliquid impossibile, quando cognoscit Angelum ad modum corporis, quia cognoscit corporeitatem in illo, qui omnino incapax est illius, &

Quaest. VI. Vtrum per omnes potent. &c. 31

& ex se habet negationem talis rationis: ergo similiter cognosceret visus aliquid impossibile, quia cognoscit colorem in caelo, ubi datur negatio illius.

50 Dicet aduersarius, licet impossibile sit, quod caelum sit ceruleum, nihilominus non cognoscitur à visu ut impossibile formaliter, & sic tantum est materialiter impossibile, & ideo non facit ens rationis.

51 Contra, quia Scotista dum cognoscit distinctionem à parte rei inter attributa diuina, facit ens rationis, quia cognoscit quod non est, ac si esset: sed nihilominus non cognoscit illam distinctionem ut impossibilem, imo maxime possibilem, imo actu necessario existentem cognoscit, & iudicat ita esse, sicut cognoscit: ergo ens rationis producit, licet non cognoscatur esse impossibile.

52 Clarius, Patres antiqui, ut Bernardus, Chrysostomus, &c. qui Angelos corporeos esse iudicabant, faciebant absque dubio entia rationis, cum conciperent esse quod non est, ac si esset, & quod est impossibile in Angelo (ut definitum est cap. firmiter de summa Trin. & fide cathol.) ac si esset possibile illi, imo tantum aberat, ut conciperent esse impossibile id quod concipiebant, quin potius iudicarent non esse impossibile: sed maxime possibile, & actu necessario, & non posse aliter esse: ergo ad faciendum ens rationis nihil obest, ut sit impossibile formaliter &c. & ratio est, ut diximus, quia illud ens sit, vel non sit impossibile formaliter est, & non purum nihil, cum purum nihil nullam habeat causam sui esse, nec connexionem cum ente reali, quam habet necessario color caeli, nec est ens reale: ergo ens rationis, quia non datur medium inter ens rationis, reale, & purum nihil.

53 Nec obstat dicere, quod illud non est obiectum solum in intellectu.

54 Contra, quia haec est petitio principij, idem est, quod quaeritur, & ventiletur, an solum sit productum ab intellectu ens rationis.

55 Vltimo principaliter sic probatur, quia vel solum fit vis in nomine entis rationis vel non, nisi in re: in re non, quia color ille est apparens &c. si in nomine ut solum ens apparens, & fictum per rationem sit nominandum ens rationis, sint, vel non sint alia entia ficta, & apparentia &c. contra, quia iam sunt admitrenda, & multiplicanda alia genera entium, quae nec sint rationis, nec realia, nec purum nihil, nec priuationes, & negationes, quod sic probatur, quia si ens illud apparens intrinsecum quasi productum ratione habet propriam quandam rationem entis condistinctam à reali, & ab entitate producta à sensibus, & solum hoc, & ratione illius vocatur ens rationis, etiam illud ens apparens, quod producit à visu, habet quandam rationem entis condistinctam ab ente reali, & etiam ab ente illo producta à ratione: sed hoc non vocatur ab aduersariis ens rationis: ergo vocabitur ens imaginationis, ens visionis, ens gustus, ens olfactus, ens tactus, & sic erit incidere in incommensuratum, quod maximum vocant aduersarii, & in quod detrudentes illos, qui dicunt denominationem visi, auditu, & cetera entia extrinseca esse ens rationis, nullam aliam victoriam gloriosorem se reportare velle praedicant, plaudentes manibus praecipue Hurtado, quam extorquere ab aduersariis hanc multitudinem entium, cuius

argumenti non meminerunt, dum nobiscum in arenam literariam descendunt.

Dices, solum denominationem extrinsecam ab actibus intellectus humani, & obiectum fictum per illam esse ens rationis.

Sed contra hanc solutionem retorqueo argumentum, quo vitur P. Hurt. in mei. diff. 19. sect. 1. argumentum enim huius Auctoris sic se habet; quia sicut haec denominatio intellectui nihil ponit intrinsecum in obiecto, ita nec denominationes ab aliis potentiis &c. ergo omnes erunt, aut entia rationis, aut entia realia; si non entia rationis, multiplicabo entia pro multiplicitate potentialium ut ens voluntatis, ens visus, ens auditus; si vero illae denominationes non sunt reale ens, quid sunt, cum nec sint ens reale, nec rationis. Erunt ergo ens visus & auditus, & imaginationis, quod adhuc neque visum, neque auditum, neque imaginatum est; sic Hurtado; quo argumento conuincere se aduersarios asserit, qui dicebant denominationes extrinsecas ab intellectu esse ens rationis, & reliqua non esse ens rationis; ex quo colligit sequi magnum inconueniens, scilicet, multiplicari entia v. g. visus, auditus, imaginationis &c. ego autem contra Patrem Hurt. retorqueo ipsius argumentum. Nam quia intellectus cognoscit quod non est, ac si esset, facit quoddam ens apparens, quod non est reale, sed fictum, & vocatur rationis, ac secunda intentio: sed imaginatio, visus, & ceterae potentiae materiales cognoscentes cognoscunt rem aliter, ac est in se, imaginatio enim cognoscit montem aureum, ac si esset, qui non est à parte rei, & cognoscit colorem ceruleum, qui realiter non existit: ergo faciunt quaedam entia apparentia, & fictitia à paritate rationis, sicut intellectus, quia non datur maior ratio in vno, quam in altero. Tunc sic de illis entibus apparentibus interrogo, an sint entia realia, vel rationis realia non sunt, quia non existunt à parte rei, si autem per te non sunt entia rationis: ergo sunt multiplicanda entia, ac proinde erunt ens visus, ens auditus, ens imaginationis, quod ut asseris nec est visum, nec auditum, nec imaginatum, quare tibi dicendum est aut omnia esse entia rationis, ne sequatur hoc quod tibi videtur magnum inconueniens, de multiplicatione entium, aut asserendum est nullius esse momenti hoc inconueniens contra aduersarios, quia eodem modo te premit, ac illos.

Vltima conclusio: potentia visiva, & ceteri sensus non faciunt relationem rationis, & ratio est manifesta; quia potentia non fingit ens, nisi ad similitudinem illius, quod est obiectum talis potentiae; vnde visus non potest fingere corpus ad similitudinem spiritus, quia spiritus non est obiectum visus; fingit autem colorem, quia color est obiectum adaequatum visus: sed relationes reales non sunt obiectum sensuum; sed potius sunt extra obiectum adaequatum illorum: ergo sensus non possunt fingere relationes rationis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta dissoluntur.

59 **A**D primum primæ sententiæ concedo maiorem, & nego minorem: ad probationem minoris nego maiorem; voluntas enim non ordinat, sed potius tendit in id quod supponit ordinatum ab intellectu.

60 Ad secundum concedo maiorem & nego minorem propter eandem rationem; voluntas enim non facit impossibile componendo: sed id, quod supponitur compositum ab intellectu, vel identitatum, amat v. g. voluntas Luciferi amavit se esse Deum, non factum à se, nec fictum: sed fictum ab intellectu, intellectus enim fingebat se esse Deum, & id amavit voluntas.

61 Ad tertium concedo, voluntatem habere efficaciam intra spheram proprii actus; nego tamen habere illam extra spheram propriam; unde licet voluntas sit efficax efficacia sibi proportionata, in hoc nimirum quod amet, vel non amet, nihilominus tamen non est efficax, vt amet incognitum aut fingat aliquid, nam fingere dicit repræsentare de nouo, ac si esset, quod non est; cum autem voluntas non sit repræsentatiua: sed solum prolepticiua illius quod ab altera repræsentatur, inde euenit quod licet habeat efficaciam volendi, vel nolendi circa suum obiectum, non habeat illam in fingendo ens rationis.

Ad primum secundæ sententiæ nego maiorem; 62 nam in sententiâ aduersariorum imaginatio facit ens rationis, & nihilominus non est reflexiua, cum ad reflexionem petant ipsi spiritualitatem in potentia, quam nullo modo habet imaginatio: ergo nullius momenti est reflexio in potentia ad producendum ens rationis necessario.

Dicunt aduersarij, aliud reperi in intellectu ad producendum ens rationis, nimirum quod id, quod fingitur ab intellectu extra intellectum non habet esse; color autem extra visum habet esse; quia est in intellectu obiectiue: sed hoc est finis, nam in ente rationis solum requiritur, vt habeat tantum esse obiectiui, & nullo modo reale, vt ens rationis fictum ab intellectu creato cognoscitur ab intellectu diuino, vt ipsi aduersarij asserunt, ac proinde habet esse obiectiui in illo intellectu; quare non repugnat enti rationis esse in multis potentiis obiectiue, sub diuersis rationibus, dummodo extra potentias illas non sit realiter, nam certum est ens rationis posse voluntati proponi ab intellectu per modum boni; tunc autem existet obiectiue in voluntate, neque tamen ideo definit esse ens rationis. Deinde existendo in pluribus potentiis nullam maiorem realitatem acquireret, sed æquè haberet purum esse obiectiui, & nullo modo reale: ac si in vna tantum potentia existeret; quare non repugnat enti rationis extra intellectum esse in aliis potentiis; sed tantum repugnat esse extra potentias in rebus, si enim sit in aliis potentiis tale prorsus, & tantum esse habebit in illis; quale in intellectu, nempe esse tantum obiectiui.

64 Ad minorem primi argumenti respondetur, negando illam; nam voluntas etiam est reflexiua, cum possit amare suum amorem, & rem propterea se amatum: ex quibus omnibus colligi-

tur, nihil interesse ad productionem entis rationis, quod potentia sit, vel non sit reflexiua, cum voluntas sit reflexiua, & non faciat ens rationis, & imaginatio licet non sit reflexiua, faciat illud.

Item demus, quod reflexio esset necessaria; 65 visus habet hanc reflexionem, quæ postulat ab aduersariis; quæ improprie reflexio est, & consistit in hoc, quod sit cognitio, quæ aliquomodo supponit aliam cognitionem entis positiui, ad cuius proportionem, seu imitationem efformatur ens rationis: sed visus habet cognitionem coloris positiui, & realis, ad cuius similitudinem concipit quod non est color, ac si esset talis: ergo habet sufficientem reflexionem ad ens rationis.

Ad probationem maioris nego, quod omnia 66 entia rationis sint denominationes, quæ tribuntur rebus iam ante cognitum, hoc fortasse habent relationes rationis.

Ad secundum respondetur per modum entis vt 67 sic, nego; per modum talis entis, vt coloris, relationis, qualitatibus &c. vt iam diximus; cum autem potentia visiva repræsentet quod non est color, ac si esset color, inde est &c.

Ad tertium nego maiorem seu antecedens. Ad 68 probationem antecedentis distinguo, coniungere, nego; componere, id est affirmare, & attribuire, concedo; cum autem imaginatio, licet non componat, id est affirmet, componit, id est coniungit, vel cognoscit vt coniuncta, inde est quod faciat ens rationis; visus enim non concipit colorem abstractum: sed potius vnium montibus, seu calo.

Alij dicunt, quod ad formandum ens ratio- 69 nis, est necesse quod potentia concipiat quod minimè est ens sub ratione entis formaliter vt ens est, negamus enim hoc; nam dum intellectus fingit relationem in absolutis non cognoscit quod minimè est ens, nec supponit rationem entis, vt ens vt sic: sed concipit quod vt tale ens supponitur, scilicet absolutum, vt aliud ens particulare, scilicet, vt relatiuum; quod habent omnes potentie cognoscentes, nam visus cognoscit lucem, & colorem.

QVÆSTIO VII.

Per quam intellectus operationem fiat ens rationis.

SECTIO I.

Sententia aduersaria ponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem rationis fieri per propriam reflexionem; cetera autem necessario fieri per operationem intellectus, saltem lato modo reflexam, & comparatiuam; hæc autem vocatur reflexa, & comparatiua, quia semper cognitio, quæ sit ens rationis, præsupponit aliam, vt diximus quæst. præcedenti: sic P. Suar. tract. de ente rationis, & alij multi.

Prima pars sententiæ sic probatur. Ille est actus proprius